


30



DISPUTATIO III.

Centuriae tertiae

QVÆSTIONVM  
ILLVSTRIVM  
PHILOSOPHI-  
CARVM

In Inchtá VVittebergensi Academiá  
Proposita:

PRAESIDE

M. IACOBO MARTINI  
LOGICES PROFESS.  
Publ.

RESPONDENTE

PAVLO GESNERO  
Boleslaviensi Silesio.

Ad 3. d. Octobr. hor à 6. matutinis in Auditorio Col-  
legi veteris.

VVITTEBERGAE

Excudebat Iohann. Schmidt, Sumptibus  
Pauli Hellvigi Bibliop Anno 1607.





REVERENDO, EXCELLEN-  
tissimis, Clarissimis, Humanissimisq; Viris,  
In Celeberrima VVittebergenfi Academia Professo-  
ribus Publ. dignissimis, fidelissimis:

Dn. VVOLFGANGO FRANZIO,  
SS. Theologiæ Doctori & Profefs. Publ.

Dn. DANIELI SENNERTO, Medici-  
næ Doctori & Profefs. P.

Dn. MELCHIORI IOSTELIO, Phi-  
losophiæ & Medicinæ Doctori, & Ma-  
thematices Profefs. P.

Dn. M. IOHANNI VVANCKELIO,  
Historiarum Profefs. P.

*Dominis, Præceptoribus & Fautoribus suis  
apprimè colendus*

Disputationem hanc Philosophicam  
D. D.

*Paulus SALOM. f. Gesnerus,  
Respond. & A.*

## QVÆSTIO I.

### Quodnam sit verum genus Syllogismi?



**N**ota ¶ est omnibus Syllogismi definitio Aristoteli-  
ca, quæ habetur 1. prior. 1. §. 9. lib. 1. Top. c. 1. §. 3.  
lib. 1. Elench. c. 1. §. 3. in hunc modum: ὁ  
γισμὸς ἐστὶ λόγος, ἐν ᾧ τεθέντων τινῶν, ἐτε-  
ρόν τι τῶν κειμένων ἐξ ἀνάγκης συμβαίνει, τῶν  
ταῦτα αἰτιῶν. Verus autem ¶ genuinus ejusdem  
sensus non adeo omnibus est perspectus: Hinc vel  
de ipso genere syllogismi discrepantes reperiuntur  
interpretum sententia: Aliqui enim Rationem ¶ alii Argumentatio-  
nem; alii Orationem genus syllogismi statuunt. Nos ut veritatem in-  
vestigemus, de singulis istis opinionibus more nostro disquiremus:  
Veritas enim ex disceptationibus, ¶ disquisitionibus elicitur, sicuti  
ex lapidum collisione ignis; Scaliger exercitat. 308.

Crellius ¶ itaq; lib. 3. Logicæ generalis cap. 2. ¶ cum hoc 2.  
qui faciunt, arbitrantur, λόγον in definitione Syllogismi Aristotelica  
generis loco positum, rectissime per Rationem verit, eò quod ab Ari-  
stotele sapientissime vocabulum hoc non pro sermone, aut Oratione, sed  
transitu à noto ad ignotum, usurpetur. Verum quamvis non infi-  
cias eam Philosophum plurimis in locis, ut lib. 1. posterior. cap. 1.  
§. 2. ubi ait: ὁμοίως φανερόν τ' ἐστὶ καὶ περὶ τοῦ λόγου, hoc est, Simi-  
liter autem hoc perspicuum erit in omnibus rationibus: Et 2.  
poster. cap. ultimo. §. 7. Ἐπασσά ἐπιστήμη μετὰ λόγου ἐστὶ: hoc est,  
Omnis scientia est cum ratiocinatione; ¶ alibi passim, vocabulo  
λόγος pro Ratione uti; attamen cum in locorum horum nullo de de-  
finitione Syllogismi agatur, nondum inde evincet Crellius, etiam hic in  
d. definitione Syllogismi λόγον exponendum esse per Rationem.

Alteram ¶ Perionius tuncur, desinens Syllogismum, quod sit 30.  
Argumentatio, in qua quibusdam positis, &c. Sed nec huic nos  
scribimus: Præsupponit enim, quod Argumentatio rectè genus  
consti-

constituatur, respectu syllogismi, Enthymematis, Inductionis, &c. quod tamen oppido falsum est: siquidem insigne discrimen Peripatetici afferunt inter syllogismum & reliquos modos ratiocinationis; quod nimirum Syllogismus contineat causam conclusionis, reliqui vero modi tantum ex signis, vel aliis rationibus procedant. Quid? quod Syllogismus perfectissimum est instrumentum, tertiam mentis operationem dirigens; reliqui vero modi imperfecti sunt, omnemque vim concludendi, hoc est, esse suum formale, unde argumentationes dicuntur, à syllogismo obtinent: Siquidem et illius concludunt, propter dictum de omni, & de nullo, quod potestate includunt. Unde & apud Philosophum nomen Argumentationis nusquam in ea significatione usurpatum reperitur, quod scilicet debeat esse genus, respectu syllogismi, Enthymematis &c. Imo Aristotelem dictos argumentationis modos pro veris speciebus argumentationis Logice non habuisse, probatu haud erit difficile. Hinc lib. 2. prior. cap. ultim. Enthymema vocat Syllogismum imperfectum; & lib. 1. Rhetoric. Enthymema vocat Syllogismum Rhetoricum, Exemplum Inductionem Rhetoricam. Satis ergo superq̄ constat argumentationem tanquam Genus univocum, nullo modo sub se comprehendere syllogismum, Enthymema, &c. Quod tamen secundæ opinionis patroni asserunt, ut videre est apud Philippum, lib. 3. Dialectices.

4. Superest t̄ tertia, eaque veritati maxime consona opinio, que vocem λόγος, in definitione Syllogismi, ab Aristotele positam exponit, per ORATIONEM; ut pote que non tantum præter Syllogismum etiam enunciationes complectitur, sed etiam essentiam syllogismi ita ingreditur, ut ne mente quidem syllogismus aliquis sine oratione concipi queat.

5. Objicis t̄ fo-san: Omnia membra definitionis debent esse de essentia rei & proinde necessaria: ORATIO autem non est de necessitate syllogismi: Syllogismus enim etiam sine sermone seu oratione, per nudam mentis operationem confici potest: Ergo vitiosè syllogismus definitur per orationem, tanquam per Genus.

6. Hic t̄ notare te velim duplicè vocabuli λόγος significationem: Vno enim modo capitur pro λόγος externo seu vocali, qui græcè vocatur λόγος ἔξω seu λόγος προφορικός, qui ad extra profertur: Deinde vero usurpatur etiam pro λόγος interno & in mente concepto, vocaturq̄ λόγος ἔσω seu ἐνδιάθετος, cujus prior ille signum & symbolum est. Iam quando

quando Aristoteles Syllogismum per λόγος definit, tunc internū principaliter, & vel maxime intelligit. Eadem hæc distinctio vocabuli λόγος in sumam disjicit Rami, Rameorumq; exceptiuncula illam, quā Philosophum non proximum, sed remotum & nimis longè peritum, ac non omnibus syllogismis, cum non omnes proferantur, competens Genus adhibuisse, calamitantur: Cum hic non tantum externa, sed interna potissimum oratio, quæ salvâ manente essentia syllogismi ab eodem nunquã abesse potest, intelligatur, ut modò dictum est. Si autem quis ludat vocabulorum ambiguitate, & per λόγος ἐνδιάθετον rationem, per λόγος vero προφορικόν orationem intelligat, utramq; interpretationem admittere possumus, ita ut λόγος vertatur ratio simul & oratio.

## QVÆSTIO II.

### An Syllogismus sit una ORATIO?

Conclusum † fuit præcedenti questione, syllogismum per Orationem definiendum esse. Ecce nova subit exoritur questio alia: annon Syllogismus rectius orationes, quam oratio dicatur?

Prius † illud asserere nonnulli non verentur: vix enim quippiam 2, tam stultum etiam febrienti in somno occurrere potest, quod non quippiam in trivio philosophantium rationibus suadere annitatur. Quæ vero illa? Ex duabus, inquirunt, Categoricalis Orationibus seu propositionibus, & conclusionem omnis constat syllogismus: Et hæc omnes integræ sunt orationes: Ergo syllogismus Orationes dici debet.

Minime † vero gentium per Orationes, sed per Orationem 3, definiendus est syllogismus: Hic siquidem non singula categorica orationes, sed ut ipsa vox syllogismi ἐπὶ τῶν συλλογιστικῶν δει, quod computationem seu multorum calculorum collectionem significat, dicti, minuit, collectio earum in unam aliquam summam per Orationis vocem significatur, quam Javellus tractatu 6. de Syllogismo formali, & alii, Orationem hypotheticam rationalem vocarunt. Dux namque præmissæ collectæ referuntur vel ad hypotheticam copulativam, si fuerint affirmativa, ut: Omne animal sentit, & Omnis homo est animal: vel ad disjunctivam, si altera fuerit negativa, ut: Omne animal sentit, sed nullus lapis sentit: Hæc si fuerit annexa conclusio per conjunctionem ratiocinativam Ergo; oritur tota oratio hypothetica.

rationalis, seu collectio propositionum illarum categoricarum omnium,  
quæ Syllogismas vocatur.

4. Denique quod syllogismus una Oratio dici debeat, duabus in-  
super rationibus ex æquis et iuris comprobare lubet: Quarum prior Dd.  
Colonienſium est, & ex ſine petita ſic habet: quod quævis in ſyllo-  
giſmo ſunt due propoſitiones, unicum tamen hunc ſinem, concluſionis  
videlicet confirmationem, reſpiciunt. Altera Alberi Magni ex for-  
mâ ſumitur: quia nimirum omnes propoſitiones ſyllogiſmi ab uno prin-  
cipio regulatiuò, Dici de omni, & Dici de nullo gubernantur.  
Vide Regium Diſput. Logic. lib. 4. probl. 4.

### QVÆSTIO III.

Utrum æquale opponatur Magno & Parvo?

1. Pro determinatione propoſitæ quaſtionis nota. 1. Quadrupli-  
cem eſſe oppoſitionem. Contradictoriam, Privativam, Contrariam  
& Relativam. 2. Magnum & parvum accipi dupliciter: uno mo-  
do abſolutè, pro ut magnum eſt, habens quantitatem continuam, vel  
magnitudinem, & ſic magnum non opponitur æquali; eſt enim æquale.  
Alio vero modo ſumitur Magnum & Parvum comparatiuè, pro ut  
ſcilicet Magnum & Parvum idem ſunt, quod majus & minus, ſecundâ  
quod aliquid alteri comparatum excedens in quantitate, dicitur Ma-  
gnum, exceſſum vero ab altero, dicitur parvum: & ſic æquale habet  
oppoſitionem ad Magnum & Parvum. 3. Non omne, quod  
eſt Magnum & Parvum, dici æquale, ſed ſolum id, quod aptum na-  
tum eſt, eſſe magnum & parvum. Sic enim ipſe Philoſophus definiit  
Æquale, lib. 10. Metaph. cap. 5. ubi ex profeſſo propoſitum ζήτημα  
pertrahat: τὸ ἴσον, ἰνquit, ἐſτι, τὸ μᾶτε μείζονα, μᾶτε μικρόν, πεφικὸς  
δὲ μείζονα, ἢ μικρόν ἐῖναι.
2. Pro reſponſivâ & concluſione obſerva I. Æquale non contrariatur  
ſeu contrariè opponi Magno & Parvo, quod probatur 1. Vnum non  
contrariatur pluribus: ἐν ἐνέσις ἐῖναι τῶν: Ergo æquale non contra-  
riatur Magno & Parvo. 2. Medium non contrariatur extremis,  
eò quod non maximè ab eis diſtat: Sed æquale eſt medium inter ma-  
gnum & parvum, medium ſcilicet per abnegationem. Ergo æquale  
non contrariatur magno & parvo. II. Æquale non opponi contra-  
dictoriè



distictio Magni & Parvi, quia aequale non est pura negatio Magni  
 & Parvi: ου γὰρ πῶν ἴσων ἔστι μῆζον ἢ ἕλαττον, ἀλλ' ἐν οἷς πέφυκεν  
 ἐκείνα. 3. *Aequale privative opponi Magni & Parvo: Et hoc*  
*ipsum Philosophi conclusio est, in loco ante citato, ubi sic ait: τὸ ἴσων*  
*ἀλλήλων ἀμφοῖν (scilicet Magni & Parvo) ὡς ἀπόφασις σφιστι-*  
*κῆ. Probatur idipsum in hunc modum: Negatio in subiecto, apto na-*  
*to est privatio: Aequale vero, ut saepius jam dictum, est, quod non est*  
*aut majus aut minus, aptum natum tamen est esse majus aut minus.*  
*E. aequale privative opponitur Magni & Parvo.*

## QVÆSTIO IV.

### An unum & multa opponantur?

*Pro negativâ † parte sequentes militare videntur rationes: 1.*

*1. Vnum uni est oppositum; sed multa opponuntur paucis: Ergo non*  
*uni. 2. Nullum oppositum predicatur de suo opposito: Sed unum*  
*dicitur de multo, quia omnis multitudo est quodammodo una: Er-*  
*go unum & multa non opponuntur 3. Vnum constituit multitudine-*  
*nem: Nullum autem compositum constituitur ex opposito: Ergo u-*  
*num non opponitur multo. 4. Si Vnum opponitur multitudini,*  
*opponitur ei sicut indivisum diviso, sicque sicuti privatio habitui:*  
*Atqui hoc fieri non potest, quia alias sequeretur Unum esse multitudine*  
*posterius, & per hanc definiti debere; cum tamen potius multitu-*  
*do definiatur per unum.*

*Affirmatvâ † vero præterquam quod ab Aristotele expres-*  
*sè ponitur libr. 10. Metaphys. c. 3. & 6, sequente etiam probatur*  
*ratione: Quorum rationes sunt opposita, ea ipsa sunt opposita: sed*  
*rationes unius & multi sunt opposita: Illius enim ratio in indivisio-*  
*ne, hujus vero in divisione consistit: Ergo Vnum & Multa sunt*  
*opposita.*

*Pro determinatione † questionis tenendum 1. Multitu-*  
*dinis vocem, & de multitudine actuali, & de multitudine potenti-*  
*accipi, hoc est, multa ad unum dupliciter comparari posse, vel ut*  
*revera*

revera multa sunt, vel ut sunt aliquo modo Vnum: Sic posteriori hoc modo in continuo dicitur esse multitudo partium integranrium continuarium, e. g. In linea multitudo punctorum, in qua licet non sit actu diuisa, (alias enim tolleretur linea continuitas) potentia tamen diuisi potest. Eodem hoc posteriori modo certum est, Multum esse se membram istius diuisionis, qua distinguitur Ens in Vnum & Multa: Atque sic Vnum & multa non sibi sunt inuicem opposita, sed multitudo continetur sub uno, tanquam imperfectum sub suo perfecto. Si vero Multitudo priori modo consideretur, quatenus nimirum est multitudo & aggregatio plurium, possumus in ea respicere, vel ad Entia illa positiua, quibus Vnitatis & Multitudo attribuitur; Atque sic Vnitatis & Multitudo se habent ut totum & partes, cum multitudo oriatur ex unitatibus: Vel ad negationem inclusam utriusque; Multitudo siquidem includit negationem Identitatis, Vnitatis vero diuisionis: Atque sic videntur sibi opponi priuatiuè.

4. Deinde † observandum etiam hoc loco venit, unitatem duplicem esse, Numeralem & Transcendentalem. Vnitatis numeralis opponitur Multitudini Relatiuè, tanquam mensura suo mensurato: Vnitatis vero transcendentalis, quæ simpliciter cum Ente conuertibilis est, opponitur multitudini priuatiuè.

5. Suboritur † hic dubium: Annon vice versa etiam multitudo dici possit priuatiuè opposita esse Vnitati; siquidem tam Vnitatis, quam Multitudo includere videtur negationem? Negamus; Ratio est in promptu, quia multitudo includit Vnitatem, & requirit indiuisionem in singulis suis membris, ex quibus constat: Vnum vero è contrario non includit multitudinem vel diuisionem, sed potius illam remouet: Ideo simpliciter assertitur Vnum opponi Multitudini per modum priuationis potius, quam è conuerso Multitudo Vnitati.

6. Ad objectionum † ante allatarum I. respondemus, multum accipi posse vel absolute, & sic Vni opponitur: vel secundum excessum quendam, & sic opponitur paucis. Ad II. Multa hic non considerari, pro ut sunt unum, sed pro ut sunt Multa: Atque hoc sensu multum de uno non predicatur, eo ipso enim, quo entia sunt multa, non sunt unum: Taceo quod unum, quando predicatur de Multo, non predicatur simpliciter, sed secundum quid. Ad III. Multitudinem constitui ex unitatibus, non quatenus sunt unitates, & negationem diuisionis dicunt, sed quatenus idem sunt cum entitate: hoc est, fieri  
Multitudo

Multitudinem, non ex uno, sed ex ente quod est Unum. Denique ad  
17. dicimus, Multitudinem & priorem & posteriorem esse unitate:  
Priorem ratione nostra apprehensionis, quatenus est divisio, & quas  
tenus nos simpliciter apprehendimus per Composita: Posteriorem vero  
simpliciter & secundum se, quatenus est collectio unitatum: atq; sic di-  
citur uni opponi privati vè.

## QVÆSTIO V.

### An tempus distinguatur à Motu?

Intelligenda † est proposita questio de quolibet tempore, respec- 1.  
tue eius motus, quem intrinsicè metitur. Cumque duo sint in tem-  
pore consideranda, Materiale videlicet seu partes motus sibi invicem  
succedentes; & Formale, seu numerabilitas ac mensurabilitas secun-  
dum prius & posterius; dicimus ratione materialis tempus omnino  
idem esse cum motu; hujus enim respectu est Ens reale, quia videlicet  
motus sublatà omni intellectu apprehensione in suo esse permanet, rea-  
temque durationem sibi vindicat: Ratione vero formalis Tempus non  
esse idem, sed differre à motu, quia videlicet partim illa numerabili-  
tas tantum in mente nostrà, motus vero extra mentem in natura re-  
rum subsistit; partim respectu hujus tempus est in quantitate, motus  
vero in nullà certà categorià, sed per omnes vagatur.

Nec † obstat, si Motus & Tempus realiter non differunt, tunc 2.  
idem erit mensura sui ipsius; tempus enim mensurat motum; quod  
tamen absurdum est. Quamvis enim quoad materiale motus cum  
tempore conveniat, interim tamen quoad formale, cujus respectu tem-  
pus est mensura motus, ab eodem distinguitur. Sic neque Aristoteles  
nobis repugnat, quando libr. 4. Physic. cap. 10. text. 94. refutat  
Pythagoricos, qui motum sphaera tempus esse contendebant; Hi siquid-  
em nullum prorsus inter motum & tempus discrimen esse opinaban-  
tur; eoque nomine à Philosopho reprehenduntur: Nos vero licet tem-  
pus re à motu non distinguamus, ex natura tamen rei ab illo di-  
stinctum esse dicimus. Vide Dd. Conimbr. in l. 4.

Phys. Aristot. cap. 14. quest. 2.

B

QVÆ.

## QVÆSTIO VI.

Num præter Tempus aliæ aliarum rerum  
durationses constituendæ sint?

1. Quidni? † Omnia namque mensura debet esse congenæ & accommodata mensurato. Pro diversitate itaque modi, quo res à suo esse deficere, aut non deficere possunt, diversa rerum durationses constituendæ sunt: quas inter vel maximè notoriæ sunt tres ista sequentes; Instans, Æternitas & Ævum.

2. Instans † seu Nunc, τὸ νῦν, est omnis quidem temporis initium, non tamen pars ejusdem; quia omnis pars metitur totum; Ipsum verò Nunc, neque metitur, neque etiam componit tempus, ut asserit Philosophus 4. phys. tex. 105. &c. Neq; tamen unum idemq; Nunc seu Instans in toto tempore esse arbitrandum est, nisi forsitan subjecto, seu secundum continuitatem, uti loquitur Thomas in comment. supra lib. 4. phys. & part. 1. quæst. 10. art. 4. Quoad numerum vero, seu terminationem temporis, omnino diversa sunt Nunc in tempore: Illud enim νῦν, quod est in præterito, aliud ab eo est, quod est in futuro, aut etiam præsentis, cum partes temporis ex fluxu instantis ortæ, non sint permanentes, sed successive, sicque mutatis temporis partibus, mutantur & ipsa Nunc. Est autem Instans mensura earum rerum, quæ in suo esse per nullam potentiam persistere queunt, quia fieri nequit, ut amplius quam momento durent. Quæ tamen existentiæ non propriè, sed analogicè tantum duratio dici potest.

3. Æternitas † constituitur ad mensurandum utcumque DEVM ter Opt. Max. secundum nostrum modum intelligendi: Infiniti siquidem propriè ac per se mensura esse potest nulla: Et definitur à Boëtio lib. 5. de consolat. interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio: de qua cum in superioris centuriæ disputatione 7. quæst. 4. copiosius dixerimus, ætæm ageremus, si in ea explicanda diutius hic immoraremur.

4. Ævum † denique, est duratio seu mensura rei creatæ stabiliter seu permanenter, ac perenniter sese habentis: seu est duratio permanens quidem

quidem, verum dependens ab alio; sicq; principium habet, sine vero  
careat. Hac duratione mensurantur ea res, quæ media sunt inter  
Deum, qui non potest in suo esse persistere; & ea, quæ nequeunt persiste-  
re, hoc est, mensurantur ea proprie Angeli & spirituales naturæ. De his  
aliisque rerum durationibus vide Conimbricenses lib. 4. phys. c. 14.  
quæst. 3. art. 2.

## QVÆSTIO VII.

An sensus sit simul activa & passiva po-  
tentia ?

Valesius † l. 2. Controv. cap. 32. negativam defendit, ubi sens<sup>1o</sup>  
solum activam potentiam concludit, affirmatq; quod non al-  
terationem, sed alterationis perceptionem dici debere. Nos vero affir-  
mantem per omnia sequemur. Sensitiva siquidem potentia ea est,  
quæ mediante certo corporis instrumento, objecta à se dicta, quæ extra  
sunt, percipit, dijudicat, & tandem ad finem certum dirigit. Non ita-  
que sola receptio sensum constituit, sed necessario requiritur etiam di-  
judicatio: Non enim is statim videt, cui presens est objectum, cujusq;  
oculis species sive idolum imprimitur, nisi quoque attentus sit anima, &  
impressam speciem dijudicet.

Clare † id ipsum docet Philosophus l. 2. de anima tex. 140. ubi<sup>2o</sup>  
actum visus & actum coloris distinguit, ostendens, aliud esse coloris im-  
pressionem, aliud ejusdem impressi coloris dijudicationem. Eadem pro-  
inde potentia hæc, prout cum Organo complicata est, objectum recipit,  
& sic patitur: prout autem in anima radicatur, ipsum objectum rece-  
ptum sentit & cognoscit, atque hoc modo agit.

Hinc † ab Aristotele l. 2. de anima tex. 51. sensus dicitur alte-  
ratio quadam, quæ accidit ab objecto, quod deducit sensitivam facul-  
tatem de potentia in actum.

Est † proinde sensus passiva potentia, illius receptionis respectu,<sup>4o</sup>  
qua apprehenditur objectum: activa vero potentia, quia illud obje-  
ctum non tantum recipitur, sed etiam cognoscitur: Atque ita eadem  
B 2 facult-

facultas sensibilis duobus fungitur muneribus: Informat primum organum, quod sine ipsa organum re vera non esset, atque hoc modo patitur: Deinde organo à se informaro utitur, dum speciem receptam dignoscit & dijudicat: Quemadmodum doctè difficultatem hanc, ut cetera omnia, explicat Zabarella in lib. de sensu agente. Hancque ipsius Aristot. fuisse sententiam, vel ex unico illo textu 127. 1. 2. de anima, contra Thomam, satis superque astruere possumus: dicit enim loco citato expressè Philosophus, odorare non esse solum pati, alias fereretur etiam aerem odorare, dum odores recipit: sed esse sentire, quod odorare esse aliud quiddam præter pati, est enim sentire, hoc autem est iudicare, quod est agere. Eandem itaque plane facultatem sensibilem esse, quæ agat, simulque patiatur, concludimus.

## QVÆSTIO VIII.

### Virtutes morales quomodo dividantur?

1. *Quamvis & extra controversiam sit, omnes virtutes morales junctas, & modo aliquo virtutem unam, virtutemque perfectam esse: Minimè tamen cum Platone facere possumus, qui (ut ex dictis in Menone, de Philosophia, appendice legum, & Euthidemo sive litigioso colligere licet:) omnes virtutes in unam redigi prudentiam existimabat: Quin potius easdem tum à prudentiâ, tum inter se distinctas esse, utrepidè asserimus, imò rationibus etiam confirmamus.*
2. *Ac prima & quidem illud, Virtutes nimirum Morales à Prudentiâ distinctas, ostenditur 1. quia illa sunt habitus appetitionis; hæc vero mentis habitus est: 2. illa sunt moderationes perturbationum; hæc nullius est: 3. per illas dicuntur probi & improbi; per prudentiam vero non denominantur boni vel mali: 4. Neque etiam prudentiâ propria & proxima forma virtutum censenda est; ea siquidem est Habitus more contractus, cui prudentiâ solum mediâ præscribit, adeo ut prudentiâ officium sit dirigere, habitus vero virtutis sit constantè exequi.*
3. *Quod & porro virtutes Morales inter se specie differant, probant hæc rationes, quæ sequuntur. 1. Quia ad distinctos appetitus, alia quidem*

quidem ad iracundiam, alie ad cupiditatem pertinent: Quæ autem  
 subjectis differunt, ipsa differunt. 2. Distinctas perturbaciones,  
 iram, odium, invidiam, timorem temperant & moderantur: Distin-  
 ctæ autem materia forma distincta. 3. Actiones edunt discrepan-  
 tes: diversarum autem actionum diversa principia. 4. In multa, qui  
 fortes non sunt, temperantia; qui modesti non sunt, liberalitas efful-  
 get; & semper ad has magis, quàm ad illas virtutes proclives sumus:  
 Ergo forme distincta sunt necessum est. 5. Denique diversis à princi-  
 piis oriuntur virtutes; quare eadem esse minimè possunt.

His ¶ ita præmissis, ut propositæ quæstioni satisfaciamus, ulterius 4.  
 jam considerandum occurrit, unde & à quo petenda sit virtutum mo-  
 ralium distinctio? Aristoteles sane eam ex distinctione facultatum  
 animæ nonnunquam desumere videtur: Verum hoc distinctionis prin-  
 cipium non sufficit. Communia sanè virtutum genera hac faculta-  
 tum differentiâ distingui concedi posset: Ultima tamen species diffe-  
 rentius magis propriis secerni oportet. Nonne in eadem facultate ani-  
 mæ varia & diversa reperiuntur perturbaciones, quibus unicum vir-  
 tutis medium non est satis? Vni certè menti attribuantur quinque  
 distincti habitus; ἐπισημὰ, σοφία, ἄσ, φρόνησις, & τέχνη. Rectius  
 proinde Piccolominus grad. 4. philosoph. moral. cap. 33. vir-  
 tutes morales intrinsecus seipsis distingui censet, hac est, suis formis  
 receptis in distincto appetitu, vel in eodem per distinctas perturba-  
 tiones: quarum formarum distinctio extrinsecus pendet à distincto fi-  
 ne proximo, nempe à distincta actione sive distincto honesto, incluso in  
 distinctis actionibus, quæ versantur in distincta externa materia, vel  
 in eadem, modo tamen vario: quæ distincta forma in distincto sub-  
 jecto ordinata in distinctum finem, ortum ducit à distincta assuetudi-  
 ne ratione directâ. Patet hinc, non concedendum esse, virtutes di-  
 stingui per objecta, quæ nihil aliud sunt, quam externa materies, cir-  
 ca quam versantur, & possunt esse varia, veluti terribilia, ho-  
 mores, distributiones bonorum, commutationes, ac simi-  
 lia, quæ tamen verè finis virtutis  
 non sunt.

## QVÆSTIO IX.

### Quot numerentur Virtutes Morales?

1. *Aristonis + Chii, Zenonis Ciicæ, Menedami Eretriensis, & ipsius quoque Socratis, ac Platonis in Protagora sententia fuit, Virtutem non multiplicem esse, sed unicam tantum, Prudentiam aut Scientiam, quæ diversis ab objectis diversa sortiatur nomina; sicut unum idemq; ignis pro materia, in quam agit, diversitate, diversas habet operationes; sic unum eundemque habitum animi quatenus mediocritatem servat circa audaciam & timorem Fortitudinem, circa voluptates Temperantiam, circa iram Mansuetudinem, circa pecuniarum tractationem Liberalitatem, circa contractus; Iustitiam dici; & sic de cæteris.*
2. *Verum + cum hic non de unitate genericâ, quam facile concedimus, quamque virtutes morales non tantum inter se sed etiam cum intellectualibus, imo cum ipsis etiam vitis, alio tamen respectu, communem habent; sed specificâ, respectu virtutum moralium in se suisque proprietatibus consideratarum, queratur; opinio hæc à præsentis questione prorsus aliena est. Cumque superiori etiam problemate unitatem virtutibus moralibus simpliciter denegaverimus, & plures earum species constituendas esse probaverimus, quot & quænam illa sint merito jam dispicimus.*
3. *Ac + Plotinus quidem in libro de virtutibus, cap. 3. Porphyrius in libro de occasionibus ad intelligibilia, Thomas in prima secundæ, quæst. 61. art. 5. alique quadruplices faciunt virtutes; Politicas seu civiles; Purgatorias seu purgatrices; Animi purgati; & Exemplares. Politicas dicunt in homines, quatenus sunt animalia politica; Purgatorias in eosdem, quatenus sunt pii & ad cælestem beatitudinem tendunt; Animi purgati in Beatos post hanc vitam; Exemplares denique in solum Deum cadere.*
4. *Verum + quo minus huic sententiæ subscribamus, facile cui vis innotescere potest: Adeo enim latè extendit Virtutis vocem, ut etiam Deo & beatissimis calitibus competat: quod tamen observatâ propriâ vocabuli virtutis moralis significatione fieri minimè potest.*

Cicero



Cicero † porro ex quadruplici subiecti, cui virtus moralis inest, 5. diversitate, quatuor constituit virtutum species, quae vulgo Cardinales seu primariae appellantur, veluti sunt; Prudentia in mente, Iustitia in voluntate, Fortitudo in irascibili, Temperantia in concupiscibili potentia. Sed neque hac divisio simpliciter probari potest; immiser enim dianocit. cam virtutem morali, de qua tamen non in presentia quaeritur.

Alia † itaq. solas Morales virtutes concernens afferenda est divisio, eaq. ex Philosophi mente talis: Omnis virtus moralis inest appetitui sensitivo, qui duplex est, Concupiscibilis & Irascibilis: In concupiscibili virtutes quae sunt, versantur vel circa voluptatem ipsam, vel instrumenta voluptatum, divitias & honores. Voluptates corporis & quoad sensum, moderatur ἡ σωφροσύνη, Temperantia, cum qua pugnant ἀκολασία, & ἀσωτία. Divitias erogandas moderat ἡ ἐλευθεριότης, Liberalitas; magnas ἡ μεγαλοπρέπεια, Magnificencia; acquirendas ἡ δικαιοσύνη, Iustitia suum unicuique tribuens: Honores mediocres Modestia; magnos ἡ μεγαλοψυχία seu Magnanimitas moderatur. In Irascibili quae continentur virtutes, vel circa seria, vel circa jocosia versantur. In jocosis τὸ μέτρον observare docet ἡ εὐτραπελία, Urbanitas: Seria vel sunt molesta, in quibus ἡ ἀνδρεία, Fortitudo, & παύσις, Mansuetudo, illa timorem, hac iram cohibens, locum habent: vel jucunda, quibus peragendis Amicitia & Humanitas; referendis veritas, ἡ ἀλήθεια, praest. Vide Piccolom. grad. 4. phil. mor. c. 28. & 29.

## QVAESTIO X.


An princeps consiliariis stipatus esse debeat?

Optandum sane esset, ut talis semper Princeps obtingeret, ita autem genitus, aut electus, qui alieni consilii non egens sponte sua sapiat; tunc sane seipso meliorem, quem consulere possit, haberet neminem; quandoque alias sepius Principi suspecta suorum aequè ac extro-rum fides: Bôdinus lib. 3. de Republ. c. 1. Non tamen usque adeo opinio propria sapientiae eum cacare debet, ut alienam aspiciatur; quia


- quin potius quo maiore sapientiâ polleret, eâ modestius de se sentiat. Certe nullum Salomone sapientiorum Sol hic adspexit, aut adspiciet unquam; Consiliariis tamen in politicis & Ecclesiasticis rebus eum usum fuisse quam plurimâ sacrâ testantur literæ, l. 3. Regum c. 4.
2. Sanè † si in privatis, magis utique in publicis rebus locum habebit illud, Βουλὴ οὐδ' ἐν ἐσίῳ ἀσφαλίστατον, hoc est, Res est consiliis secuta fidelibus uti. Quin verissimum & illud Ciceronis l. 1. Offic. Omnem rationem & institutionem vitæ adjuvante hominum desiderare; itemque illud Euripidis in Phœniss. εἰς ἀνὴρ οὐ πᾶνθ' ὀφεί.
3. Quod † dicam de magnâ Imperii mole, quæ humeris principis incumbit: nonne hac flagitat maximas fidelissimos? Certe impossibile est principem suâ scientiâ posse cuncta complecti, Tac. 3. Annal. Itaq; esto nobis σοφὸς τὸ γὰρ οὐ τῶν σοφῶν συνέσις, Sapiens princeps sapientium commercio. Audi hac de re Camer. p. 1. subsec. c. 55. Si princeps in animum induxerit, suo unius consilio posse stare res suas, nec se à quoquam moneri, nec à temere incepto revocari patietur; quanto vero cum periculo id conjunctum? Cum nauta errat, modicum adfere navigantibus nocumentum: Cum vero ipse gubernator, totius efficit navigii perniciem: sic & in civitatibus, si quis ex subditis peccet, non tam Reipubl. quam seipsum ledit: sin vero ipse Princeps, inversâ infert Reipubl. detrimentum.
4. Hoc itaq; sibi persuasissimum habeant Principes, se majus indicium bonæ mentis ostendere non posse, quam si optimos ac prudentissimos sibi deligant consiliarios: Verissimum enim illud, quod veteri verbo usurpatum legimus apud Plat. ἰεθὺν ἀλλ' ὁδὸς ἐστὶν ἡ συνέσις: Quiddam sacrum profecto consulti ratio est. Et de his habemus.

Finis disputationis tertiæ.









30

DISPUTATIO III.  
Centuriæ tertiæ

QVÆSTIONVM  
ILLVSTRIVM  
PHILOSOPHI-  
CARVM

In Inclytâ VVittebergensi Academiâ  
Proposita:

PRAESIDE  
M. IACOBO MARTINI  
LOGICES PROFESS.  
Publ.

RESPONDENTE  
PAVLO GESNERO  
Boleslaviensi Silelio.

Ad 3. d. Octobr. hor. à 6. matutinis in Auditorio Col-  
legi veteris.

VVITTEBERGAE  
Excudebat Iohann. Schmidt, Sumptibus  
Pauli Hellvigi Bibliop Anno 1607.